

eriuendo ejus vero sensu, ut præterdunt Heretici, quare ergo ipsi à tot annis disputant de vero sensu plurimorum textuum Scripturæ, inter alios de illo celebri: Hoc est corpus meum? Vel ergo non legunt Scripturam, vel sunt pertinaces contra agnitam veritatem.

Dicitur Augustinus l. 2. de Doctr. Christ. c. 6. dicit: Nihil ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non plenissimè dictum alibi reperitur: ergo Scriptura potest se ipsam explicare. R. N. Conseq. 1. Quia Aug. non dixit simpliciter Nihil, sed, ferè nihil; ideoque supponit, esse quædam, quæ nullibi per alia clariora explicantur, ut revera sunt plurima in Prophetis, præsertim in Ezechiele, in Epistolis Pauli, & in Apocalypsi. 2. Quia incertum est, quænam sint illa clariora, per quæ obscura explicantur, alioquin cur hæretici ad illa clariora non recurrunt in suis disputationibus?


R. 2. Spiritus cujusque privatus non potest esse Judex de vero sensu Scripturæ, 1. quia non habet auctoritatem compellendi partes ad acquiescendum suæ sententiæ. 2. Quia est varius in variis, incertus & sæpè sibi contrarius: dicitur Lutheranis hunc sensum esse verum; dicitur Calvinistis contrarium: dicit Lutheranus, se bonum habere spiritum, negat Calvinista. Quis litem dirimet? 3. Nullus est, aut fuit unquam hæreticus, qui non præterdat, se bono spiritu ducti. Si ergo cujusque privatus spiritus sit Judex de vero sensu Scripturæ, admittendæ sunt omnes hæreses ut veræ, nihil enim nisi verum à bono Spiritu procedere potest. R. 3. Judex de vero sensu Scripturæ est Ecclesia: quia, ut infra probabimus, est infallibilis tam in proponendis Scripturis Canonice, quam in judicando de vero earum sensu. De hæc responsione fusius Dissert. subsequæ.

Petes. 10. At non sint quædam regulæ ad dignoscendum sensum litteralem Scripturæ? R. Communiter assignari sequentes. Prima, sensus, quem verba in propria significatio-

ne accepta important, si non sit absurdus, nec dogmatibus fidei, aut morum honestati repugnans, est sensus literalis. Colligitur ex Aug. l. 3. Doctr. Christ. c. 10. & ex l. 8. de Genesi ad Litt. c. 7. Secunda, sensus literalis est, quem Ecclesia, vel unanimes Patrum consensus habet pro literalii. Ex Conc. Trid. Sess. 4. cap. 2. Tertia, ad intelligentiam Scripturarum adhibenda est vitæ mundities, frequens, humilis, & devota oratio, collatio antecedentium & sequentium, locorum similium & variorum exemplarium, atque assidua Patrum & Interpretum lectio.

Petes 11. Quid sit sensus accommodatus? R. Quòd sit sensus, quem verba Scripturæ habent, non ex intentione Dei, aut Scriptoris Sacri, sive literaliter, sive mysticè, sed ex intentione hominis ea applicantis ad significandum aliquid simile illi, quod exprimitur in Scriptura. Unde non est sensus Scripturæ, sed hominis detorquentis veram significationem Scripturæ ad aliud præter similitudinem: sicut si quis hæc verba Rebecca dicta de Jacob & Esau Gen. 25. Major serviet minori, applicaret natu minori alicujus familiaris, cui natu major servire debeat. Hoc sensu accommodatio plura dicta de sapientia æterna applicat Ecclesia Divæ Virginis, plura dicta de Noë, Moysæ, & Aaronæ Eccl. 44. & 45. ut, Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi. Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Statuit illi testamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium, applicat SS. Confessoribus Pontificibus.

Petes 12. Utinam liceat cuique privato usurpare verba Scripturæ in sensu accommodatio? R. In rebus bonis & ex bona fide licitum esse, modo tamen non profuerit ut sensus Scripturæ. In angis, jocis, adagiis irreligiosis est. In falsis, scurrilibus, adulationibus, detractionibus, impudicis, impij & sacrilegij, adulationibus.



DISSERTATIO II.

DE TRADITIONIBUS.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Traditio; & quanta auctoritatis?

Traditio generalitèr est doctrina, ab uno alteri scripto, vel voce communicata. Unde Apost. 2. Thessal. 2. Tene, inquit, Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam, id est, sive voce, sive scripto. Dicitur Doctrina; quia traditio hic non sumitur pro actu transmittendi, sed pro re transmissa. Specificè autem sumpta Traditio, prout distinguitur a Scriptura, est doctrina ab uno alteri viva voce communicata. Est vel bona, vel mala, vel inutilis. Item vel spectat politiam civilem, vel fidem & mores fidelium. Hic agitur de Traditione bona spectante fidem & mores fidelium.

Dico 1. Traditio sic sumpta definitur potest: Doctrina, ad fidem & mores Christianos pertinens, viva voce a suo Auctore communicata. Dicitur, a suo Auctore; quia non obstat Traditioni, si semel a suo Auctore sola voce communicata, postea ab aliis scripto mandetur. Hujusmodi sunt Baptismus parvulorum; perpetua Virginitas B. Mariæ, jejunium quadragesimale, celebratio festorum Paschæ & Pentecostes, & plura alia.

Dico 2. Traditio ex parte originis dividitur in Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Divina est, quæ a Deo Patriarchis, vel a Christo discipulis, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, viva voce ad posterum communicata est. Apostolica est, quam Apostoli auctoritate Apostolica, tanquam Ecclesie Præfecti, instituerunt. Ecclesiastica est, quam Concilia, aut Summi Pontifices, aut SS. Patres introduxerunt. Observandum tamen, hæc vocabula, Divina, Apostolica, Ecclesiastica, quandoquæ a SS. Patribus confundi: etenim Traditiones divinas interdum vocant Apostolicas & Ecclesiasticas; quia, licet sint immediate a Deo, per Apostolos promulgatæ sunt, & per Ecclesiam ad nos transmissæ. Interdum etiam Apostolicas & Ecclesiasticas vocant divinas, non quòd sint immediate a Deo, sed quia Apostoli, aut Ecclesie Prælati eas instituerunt, inspirante Spiritu S., ut instituerent; vel quia eas instituerunt auctoritate a Deo accepta, vel quia ad exemplum Christi eas instituerunt, ut v. gr. Jejunium quadragesimale.

Ratione materie Traditio dividitur in dogmaticam &

moralem, seu ritalem. Prima versatur circa dogmata, ut Patrem esse ingenitum, esse quatuor Evangelia, septem Sacramenta, B. Mariam fuisse antè, & post partum Virginem, &c. Secunda spectat mores, ut observandum esse jejunium quadragesimale, celebrandum Festum Paschæ, &c. Ratione temporis, dividitur in temporalem, quæ ad tempus tantum fuit instituta, ut est abstinentia a sanguine & suffocato, trina immersio in Baptismo: & in perpetuam, quæ instituta est, ut perpetuo duratura, ut Baptismus parvulorum, validitas Baptismi ab Hæreticis collati.

Dico 3. Traditio divina est infallibilis auctoritatis, & fidei Regula; quia est verbum Dei, non minus quam Scriptura sacra: Scriptura sacra autem non est infallibilis auctoritatis & fidei regula, quia est scripta, sed quia est verbum Dei: undè Trid. sess. 4. cap. 1. declarat se Pari affectu & reverentia suscipere, ac venerari Traditiones divinas ac Scripturam sacram. Ex quo colliges, ex Traditione divina, firmum & efficax posse formari argumentum, sicut ex Scriptura divina. Traditio Apostolica tantæ est auctoritatis, quantæ sunt Decreta Apostolica. Traditionis verò Ecclesiasticæ ea est auctoritas, quæ est Legum Ecclesiasticarum. Undè Traditiones Apostolicæ & Ecclesiasticæ patiuntur dispensationem, derogationem, & abrogationem.

Petes, quæ sit Regula dignoscendi Traditionem in communi, deinde dignoscendi esse divinam? R. 1. Regula dignoscendi Traditionem in communi, ea est, quam statuit Aug. l. 4. contra Donat. c. 24. Quod univèrsa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum est, sed semper retentum non nisi Apostolica auctoritate traditum certissime creditur. R. 2. Regula dignoscendi Traditionem divinam, prout ab Apostolica distinguitur, est, si Ecclesia tenet aliquid tanquam de fide, aut aliquid, quod non nisi à Deo potest institui, esse servandum, est Traditio divina nobis per Apostolos transmissa. Ratio est; quia Ecclesia errare non potest: ergo, quod dicit esse de fide, aut esse servandum, ita est. Subsumo; atqui nihil est de fide, nisi sit a Deo immediate traditum; neque id, quod a solo Deo potest institui, verè dicitur servandum, si a Deo non sit institutum: ergo. Sic sunt Traditiones divinas Baptismus parvulorum, validitas Baptismi Hæreticorum, perpetua Virginitas B. Mariæ, tria Sacramenta, Baptisimum, Confirma-

DE REGULIS FIDEI.

mationem, & Ordinem, esse interabilia, &c.

Dixi: Per Apostolos nobis transmissa: quia Ecclesia post tempora Apostolorum non habet novæ revelationes, sed omnia fide tenenda revelata sunt Apostolis a Deo, sive per Christum loquentem, sive per Spiritum S. dictantem, & docentem omnia, juxta promissiones ipsis factas a Christo Joann. 14. & 16. Quando ergo Ecclesia definit aliquid a Deo traditum, & fide divina credendum, non condit novum articulum fidei; id enim jam erat de fide, etsi non explicita, Apostolis revelatum: sed declarat, quòd id, quod non noscebatur esse fidei, ita nunc esse habendum, ut jam alibi observavimus.

Alter Regula dignoscendi Traditionem divinam est: quando Patres priorum sæculorum tenent unanimiter tanquam de fide aliquid non scriptum, & oppositum damnant ut hæreticum, est Traditio divina. Quæstio hic potissimum est de Traditionibus divinis; quas non esse admittendas, contendunt hodierni Hæretici, Gnosticorum, Valentianorum, & Marcionitarum in hoc exemplæ secuti. Undè Calvinus l. 4. Instit. c. 2. §. 8. hæc regulam statuit: Esto hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Verbum Dei, cui datur in Ecclesia locus, quam quod lege primum, ac Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur. Undè sit

ARTICULUS II.

Utrin Traditioes divine sint necessariò admittendæ?

Dico. Præter Scripturam sacram, necessariò sunt admittendæ Traditiones divinx. Prob. 1. ex Scriptura. Apost. 2. Thessal. 2. dicit: State, & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam, id est, sive voce, sive scripto: & loquitur de Traditionibus divinis, & ad fidem pertinentibus, quia horratur ibi Thesalonicenses, ut permaneant in fide. Undè Chrysostomus ad hæc verba ait: „Hinc patet, quòd non omnia per epistolam tradiderunt; (Apostoli) sed multa etiam sine litteris: eadem verò fide digna sunt tam illa, quam ista. Itaque Traditionem quoquæ Ecclesie fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius: idem Apost. 2. Tim. 1. Formam habe, inquit, sanorum verborum, quæ à me audisti. In quæ verba Chrysost. cit. iterum ait: non modo per litteras, sed etiam verbis discipulo, quæ essent agenda, dicitur, quod plurimis, & aliis in locis ostendit dicens (2. Thessal. 2.) sive per verbum, sive per epistolam quasi per nos missam. Item c. 2. Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu: id quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.“ Hæc autem vocabula, quæ a me audisti per multos testes, aperte indicant Apostolum loqui de traditis voce, non scripto.

Prob. 2. ex Patribus. Præter Chrysost. jam cit. Dionysius de Eccles. Hierarch. c. 1. de Apostolis loquens dicit: „Primi illi nostri numeris sacerdotalis duces. . . summa illa, & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis, institutionibus suis nobis tradiderunt. Ireneus l. 3. c. 3. Traditionem Apostolorum, inquit, in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire: Et c. 4. Quæ sunt Ecclesie cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis Traditionem: & si de aliqua modica questione disputatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis sumere de præsentis questione, quod certum, & liquidum est? Quid autem si neque Apostoli reliquissent nobis Scripturas? Nonne oportebat sequi ordinem Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multe Gentis Barbarorum, quorum quæ in Christum credunt, sine charta, & atramento scripturam habentes per Spiritum S. in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem Cœli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt per Jesum Christum Dei filium.“ Tertulianus de corona militis c. 4. post enumeratas quasdam observantias Christianæ Religionis de Baptismo, de oblationibus pro defunctis, & similibus, dicit: „Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expositules, scripturam nullam invenies: traditio tibi præteritur auctrix, conjugetudo conservatrix, & fides observatrix: rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexit, dices. Origines in c. 6. Epist. Rom. Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditione accepit, etiam parvulus Baptisimum dare. Basilides de Spiritu S. c. 27. ait: Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus et doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apost. Theol. Billuart. Secunda secundæ.

tolorum Traditione in mysterio, id est, in occulto reconditis, quorum utraque parem vim habet ad pietatem. Et hom. 28. contra Sabelium, Arium, & Anomæos: Et ne Spiritum S. inquit, a Patre, & Filio separet, absterreat te Dominica Traditio: Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt; Patres observarunt, Martyres confirmarunt, satis tibi sit, ut dicas, quemadmodum S. Cyrillus (Catechesi 5.) Videte itaque Fratres, ut servetis Traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis. Epiphanius hæresi 61. Oportet ex Traditione uti; non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione SS. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus: Sicut tradidi vobis. Et hæresi 69. Respondete nobis, Arii Discipuli: Ingenitum dicimus omnes simul Patrem, & increatum, & admirabilis est dictio scilicet: ubi itaque est dictio hæc scripta, ostendite; quæ enim Lex, neque Prophetæ, neque Apostoli. Hieron. in Dialogo contra Lucifer. cap. 4. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesser, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret: nam, & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ Legis usurparunt. Aug. l. 4. contra Donat. c. 24. tradit Regulam pro dignoscendis Traditionibus; vide art. præcedenti L. 2. c. 7. loquens de non rebaptizandis Hæreticis: Multa, inquit, quæ non inveniuntur in litteris eorum (Apostolorum) neque in Conciliis posteriorum: & tamen quia per universam Ecclesiam custodiuntur, non nisi ab ipsa tradita, & commendata creduntur. L. 3. contra Maximin. c. 3. Da testimonia, ubi adoratur Spiritus S. quasi non eis quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus. Sed ne querere multa compellar, tu ubi legis Patrem Deum ingenitum, vel innatum? Et tamen verum est. Plures alios Patres omitto, qui legi possunt apud Controversistas.

Prob. 3. Ecclesia aliquando stetit solis Traditionibus sine Scriptura: ergo traditiones non sunt rejiciendæ. Prob. Ant. Tempore legis naturæ ab Adamo ad Moysen nullam fuit Scriptura, sed ex sola traditione habeatur fides de creatione mundi, de futura vita, de remedio peccati Originalis, de cultu Dei, &c. Tempore Legis scriptæ a Moysæ ad Christum, licet plura fuerint scripta, erat tamen sola traditio de remedio peccati originalis pro feminis, de divinitate Librorum Canonice, & de multis aliis, Undè Deut. 32. dicitur: Interroga Patrem tuum, & annuntiavit, majores tuos, & dicent tibi. Et Eccl. 8. Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis. In nova autem Legge, antequam Apostoli, & Evangelistæ post Ascensionem Christi scriberent aliquid, stetit Ecclesia, & Fides Christi solis Traditionibus ergo.

Prob. 4. Multa sunt fide divina credenda, quæ & ipsi Hæretici credunt, quæ tamen non continentur expresse in Scriptura, sed sola Traditione tenentur; ut quòd Pater sit ingenitus, quòd parvuli sint baptizandi, quòd baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi, quòd Deipara ante, & post partum manserit Virgo, quòd sint quatuor Evangelia, & non plura, &c. Hæc, inquam, & multa alia fide divina credunt in Ecclesia, hæc ipsi Hæretici credunt, & tamen non continentur in Scriptura, sed ex sola traditione habentur: imò ipsorum principium, quòd firmissimè credunt, nihil esse recipiendum nisi in Scriptura expressum, non inveniuntur in Scriptura: ergo, velint nolint, Traditiones admittere coguntur. Confirm. Undè sciunt Hæretici Scripturam, quam tantoperè commendant, esse sacram, & divinam? Non ex ipsa Scriptura, id namquæ non dicit; & si diceret, non magis teneremur illi credere quoad hoc, quam quoad alia, nisi prius aliunde nobis constaret, quòd sit divina; non est enim infallibilis, nisi quia divina. Ut ergo illi asserenti se esse divinam credam, debet mihi prius aliunde constare, quòd sit divina: alioquin omni libro asserenti se esse a Deo, etiam ipsi Alcorano, teneret credere ut Scripturæ divinx. Ex sola ergo Traditione habetur, quòd hæc, & non alia Scriptura sit sacra, & divina.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Traditiones reprobantur in Scriptura: ergo. Prob. Ant. 1. Deuter. 4. dicitur: „Non additis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. 2. Apoc. ultimo: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas. 3. Galat. 1. Licet nos, aut Angelos de cœlo evangelizet vobis præter quam quod evangelizamus vobis, anathema sit. Matth. 15. Irritum fecistis mandatum meum propter traditionem vestram.“ ergo. R. N. Ant. Ad 1. Moyses prohibet aliquid addi verbo Dei, quod loquitur, prava in-



terpretatione illud corrumpeo, alterando, impugnando. Non autem prohibet addere aliud verbum Dei sive scriptum, sive traditum: alioquin rejicerent forent omnes Libri Canonici scripti post Deuteronomium. Ad 2. eadem est Responsio. Vel dicendum, S. Joannem prohibere, ne quid addatur Apocalypsi, quasi esset pars illius: sicut enim noluit rejicere omne aliud verbum scriptum præter Apocalypsim, ita nec traditum. Ad 3. Tò præter in verbis Apostoli summittit pro contrâ, ut illud ejusdem Apostoli Rom. cap. ultimo: *observare eos, qui dissensiones, & offensa præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt*, id est, contra doctrinam. Et patet, cum quia Apostolus ibi reprehendit Galatas, quod se abduci permiserant per filios Apostolos a veritate, quam illis annuntiaverat; tum quia alioquin damaret, quæ ipsemet alibi, & postea scripta; nempe Evangelium, & Apocalypsim S. Joannis, quæ post Epistolam ad Galatas scripta sunt. Observat autem S. Chrysostomus, Apostolum ex industria dixisse præter, & non contrâ, ut perstringeret, non solum eos, qui aperiunt, sed etiam qui occulte docent aliquid contrarium prædicationi Evangelii, quo licet non totum subvertitur Evangelium, ex parte tamen, & secundum quid labefactur. Et ita intelligendus est Theophylactus, dum dicit: *Neque etiam si prædicaverint contraria, intulit Apostolus, sed si prædicaverint aliquid præter id, quod prædicavimus*, quo scilicet labefactur minima pars Doctrinæ, quam prædicavimus. Idque eo verius est, quod Theophylactus commentaria Chrysostomi penè de verbo ad verbum exscribat: Chrysostomus autem præter id, quod diximus ex ipso, eandem explicationem habet hom. 1. in Ep. ad Galat.

Obj. 2. Sufficit S. Scriptura: ergo inutiles sunt Traditiones. Prob. Ant. Apost. 2. Tim. 3. dicit: „Ab infantia sacras Litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Doctrina divinitus inspirata utilis est ad docendum... ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Joann. 20. Multa quidem, & alla signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes habeatis vitam in nomine ipsius: ergo. R. N. Ant. Ad 1. Litteræ, quas Timotheus didicerat ab infantia, erant Litteræ veteris Testamenti: tunc enim novum nondum erat scriptum; poterat autem litteræ veteris Testamenti instruere Timotheum initiative, non consummative. Addit Apotolus, omnem doctrinam divinitus inspiratam esse utilem, ut perfectus sit homo Dei; at non dicit, esse sufficientem: sic pietas est utilis, ut homo sit perfectus Pastor in regimine Ecclesie, at non sufficit. Ad 2. Evangelista loquitur non de sufficientia doctrinæ, sed miraculorum, quæ Christus fecerat, quæ sã numerosa erant ad persuadendum hominibus, Christum esse filium Dei. Itã etiam intelligendi sunt S. Aug. & S. Cyrillus in hunc locum. Hoc argumentum de sufficientia Scripturæ Hæretici latissime urgent ex SS. Patribus: omnes referre longum foret. Quosdam referam, deinde statum quasdam regulas generales ad aliorum intelligentiam.

Obj. 3. ex S. Irenæo, qui l. 3. adversus hæreses cap. 1. hæc habet: „Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconizaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei nostræ: ergo. R. in primis S. Irenæum non asserere, Apostolos scriptis mandasse omnia, quæ prædicaverant. Insuper agit ibi contra Marcionistas, qui rejiciebant scripta Apostolorum, & illis alia falsa opponabant, dicentes, Spiritum S. in Apostolis non fuisse locutum: *Sed reperiri veritatem aliquando in Valentinio, aliquando in Marcione, aliquando in Cerintho*, ut ibidem dicit Irenæus. Non ergo ibi rejicit Traditiones S. Præsul; sed probat, Apostolica scripta esse recipienda ex suis Auctoribus.

Inst. 1. Irenæus cap. seq. redarguit Valentinianos, quidam Scripturis premuntur, confugiunt ad Traditiones, quasi non possit inveniri veritas ab his, qui nesciunt Traditiones: ergo. R. Irenæum loqui de Traditionibus humanis, quas Valentiniani obrudebant, rejectis Apostolicis scriptis. Addit enim ibidem: *Cum autem ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni, dicentes se, non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem*. Ad hæc obmutescere debent Hæretici. Attamen

Inst. 2. Irenæus l. 4. c. 66. dicit, inveniri in Scripturis universam actionem, & omnem doctrinam, & omnem passionem Christi: ergo. R. Juxta Irenæum omnem doctrinam in Scripturis contineri quoad subjectam materiam. Probat enim ibi contra Marcionistas, actiones, & passionem Christi fuisse prædictas a Prophetis, & expositas ab Apostolis, idèque omnem de his doctrinam contineri in Scripturis: *Legere, inquit ibidem, diligentius id, quod ab Apostolis est Evangelium nobis datum, & legite diligentius Prophetas, & invenietis universam actionem, & omnem passionem Domini nostri prædictam in ipsis*. Nihil inde contra Traditiones. Quanta verò perspicuitate earum necessitatem adstruit Irenæus, patet ex probat. Conclusionis.

Obj. 4. Tertullianus l. adversus Hermog. c. 2. dicit: *Adoro Scripturæ plenitudinem... scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat vobis illud adficiendum, ad detrahendum destinatum*. ergo. R. Tertullianum adorare plenitudinem Scripturæ non quoad omnia dogmata in specie, sed quoad illud, quod propugnabat adversus Hermogenem; scilicet Deum crasse mundum ex nihilo, & non ex præeistente, & coeterna materia produxisse, ut dicebat Hermogenes contra hæc apertissima Scripturæ verba: *In principio Deus creavit Cælum, & terram*. Unde jure timendum erat Hermogenem Væ destinatum adficiendum Scripturæ aliquid, quod sit ipsi contrarium. Patet; si integer textus referatur: „Adoro, inquit Tertullianus, Scripturæ plenitudinem, quæ mihi, & factorem manifestat, & facta. An autem de aliqua subjuncti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi, Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat Væ illud adficiendum, ad detrahendum destinatum.“

Inst. Tertull. libr. de Carne Christi c. 7. Hermogenem alloquens dicit: *Non recipio, quod extrâ Scripturam de tuo inferis*: ergo. R. his verbis Tertullianum non rejicere Traditiones, quas ibid. c. 2. diserte adstruit, sed quæ ex proprio cerebro, & sui erroris officina proferebat Hermogenes, scilicet, Judæos Matth. 12. v. 47. nuntiasse Christo, *Tentandi gratia, matrem, & fratres, quos non habebat*. Sic interpretabatur Hermogenes, ne humanam Christi generationem fateretur. Cui reponit Tertullianus: *Non recipis, quod extrâ Scripturam de tuo inferis*.

Obj. 5. Origenes hom. 1. in Jeremiam dicit: *Necessè est nobis, Scripturas sanctas in testimonium vocare: Sensus quippe nostri, & enarrationes sine istis testibus non habent fidem*: ergo. R. Origenem sic loqui non de omni Religionis dogmate, sed de singulari quodam Prophete oraculo, hoc scilicet: *Eccè ego constitui te hodie super gentes, & regna, ut evellas, & destruas*, &c. quod de Jeremia figuratè dictum, de Christo esse intelligendum ex testimoniis veteris, & novi Testamenti probare aggreditur.

Obj. 6. Cyprianus Ep. 74. ad Pompeium quod hæc sententiam Stephani: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*; (dicit) *unde ista Traditio? Ea faciendâ esse, quæ scripta sunt, Deus testatur*: ergo. R. Cyprianum Traditionem de non rebaptizandis Hæreticis rejicisse, quia illam commentitiam existimabat, in quo erravit; non vero alias, quas legitimas putavit.

Obj. 7. S. Basilus in Asceticis cap. de vera, & pia fide dicit: *Manifestum hoc infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiæ certissimum, si quid eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non sunt scripta, introducere*: ergo. R. hæc ultima verba, aut eorum, quæ non sunt scripta, introducere, in quibus est vis argumenti, intelligenda sunt de iis, quæ contraria sunt Scripturæ, aut ab ea aliena, ut patet ex seq. ibidem.

Inst. S. Basilus Ep. 80. dicit: *Sinem arbitratui inspiratæ a Deo Scripturæ*. R. juxta Basilium standum esse Scripturæ, quando aliquid dogma clarè exprimit. Si autem de aliquo dogmate taceat, aut obscure loquatur, non negat Basilium, recurrendum esse ad Traditiones, quas diserte assentit locis inter probationes citatis.

Obj. 8. S. Chrysost. hom. in Ps. 95. *Si quid dicitur absque Scriptura, inquit, auditorum cogitatio claudicat*: ergo. R. sensum Chrysostomi esse, quod, si aliquid dicatur sine Scriptura, ex propria inventionem, non ita persuadeatur, ac si testimonio Scripturæ fulciretur; præmisit enim: *Non oportet quidquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione*.

Inst. Chrysost. hom. 13. in 2. Ep. ad Cor. Scripturam sacram vocat *exactam rerum omnium lancem, ac normam*: ergo. R. Chrysostomum non dixisse Scripturam, sed Legem Dei esse exactam, &c. Lex autem verbo scripto, & tradito continetur.

Objicitur insuper Chrysostomus ex hom. 449. operis imper-

per. sicut Hieronymus & Ambrosius ex Commentariis in Ep. Paulinas. Sed hæc opera falsò tribui SS. Doctoribus conveniunt Eruditi.

Obj. 9. S. Hieronymus in c. 23. Math. dicit: *Hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, quæ probatur*: ergo. R. Hieronymum ibi loqui de singulari facto, hoc scilicet Zachariam filium Barachie occisum intè Templum & Altare esse Zachariam Patrem Jo. Baptistæ, quod aliqui ex quibusdam apocryphorum somniis affirmabant. Unde non legitimas Traditiones, sed apocrypha scripta hic refellit Hieronymus.

Inst. 1. Hieronymus in c. 1. Ep. ad Tit. dicit: *Sine Scripturam auctoritate garrulitas non habet fidem*: ergo. R. Hieronymum ibi arguere garrulos subversores, qui perverfam doctrinam etiam divinis testimoniis corroborare nituntur, sine quibus nullam haberent fidem apud audientes. Quid hoc ad Traditiones?

Inst. 2. Hieronymus in c. 1. Aggæi habet: *Quæ absque auctoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica, spontè reperiri atque confingunt, percutit gladius Dei*: ergo. R. Hieronymum ibi rejicere Traditiones licitas, ut aperte significant hæc verba, *Spontè reperiri atque confingunt*.

Inst. Hieron. in c. 1. Michæ dicit: *Ecclesia Christi... non est egressa de finibus suis, id est, de scripturis sanctis*: ergo. R. Ecclesiam non exire de Scripturis, cum admittit Traditiones, quia Scripturæ commendant Traditionem auctoritatem. Insuper agit ibi Hieron. contra Hæreticos, qui perveris interpretationibus Scripturis corruptentes, *Domum suam, non in Scripturis, sed in vicinia Scripturarum* construunt.

Obj. 10. Aug. l. 2. de Doctr. Christ. c. 9. ait: *In his, quæ aperte in Scriptura posita sunt, invenitur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi*: ergo. R. Hunc textum intelligendum esse de omnibus, quæ ab unoquoque Christiano sunt explicitè credenda, & quæ ad morum præcepta in genere pertinent, qualia sunt præcepta Fidei, Spei, & Charitatis; non vero de omnibus omnino credendis implicite ab unoquoque, explicitè vero a Pastoribus & Doctoribus; nec de singulis præceptis in specie; alias sibi aperte contradiceret Aug. dum l. 1. de Bapt. c. 23. scribit: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur*.

Inst. 1. Aug. l. 2. de peccat. meritis c. 36. *Ubi de re obscurissima disputatur, inquit, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando*: ergo. R. Augustinum supponere rem obscurissimam, quæ neque in Scriptura clarè exprimitur, nec aperta Traditione asseritur; nam, si Traditio aperte illi faveat, jam desinit esse obscurissima. Hanc esse Aug. mentem constat ex eo, quod ibi loquitur de questione, quæ nec Scriptura, nec Traditione tum dirimi poterat; utrum scilicet anima rationalis a solo Deo crearetur, an simul cum carne a Parentibus propagaretur.

Inst. 2. Aug. ibid. subdit: *Illud credo, quod etiam hinc divinarum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset*. R. Equidem haberi clarissima Scripturarum testimonia de his, quæ homo ignorare non potest sine dispendio salutis: sed hæc sunt capita fidei Christianæ, non omnia omnino fidei dogmata.

Inst. 3. Libr. de bono viduitatis c. 1. dicit: *Quid igitur amplius te doceam, quam id, quod apud Apostolum legitur? Sancta enim Scriptura nostræ Doctrinæ regulam figit*: ergo. R. S. Aug. non agere ibi de universis fidei dogmatibus, sed de bono viduitatis dumtaxat, & quoad hoc dixit, quod Scriptura sit fidei nostræ regula; sed quoad hoc dixit, quod illud præstantiam satis explicuerat. Quod si velis intelligi regulam generalem fidei, dicam esse regulam inadæquatam, non adæquatam, nisi adjuncta Traditione.

Objicit Rivetus plura ex Catechesibus S. Cyrilli, quæ probant tantum, nihil esse tradendum de præcipuis mysteriis fidei, quæ continentur in Symbolo, nisi quod legitur in Scripturis. At non negat S. Cyrillus, esse necessariam Traditionem ad ipsas Scripturas cognoscendas & intelligendas, ad probanda dogmata, quæ, licet non sint præcipua, atque ad probanda continentur, pertinent tamè ad fidem. Hic quoad Patres sisto, ne sim tedious: sed ex dictis collige regulas sequentes ad aliorum intelligentiam & solutionem.

1. Quando Patres dicunt, Scripturam sufficere, omnia contineri in Scripturis, & similia, vel loquuntur in subjecta materia, quam tractant, aut de qua disputant contra Hæreticos; vel intelligunt omnia promiscuè, & explicitè credenda necessario ab omnibus fidelibus, ut sunt præcipua fidei Mysteria, Trinitas, Incarnatio, &c. non vero omnia omnino, quæ pertinent ad fidem Ecclesie, & ab ejus Rectoribus & Doctoribus explicitè credantur, ut hos libros esse Canonicos, Patrem vocari ingentum, Baptismum Hæreticorum esse validum, &c. vel Scripturam sumunt latè pro omni verbo Dei sive scripto, sive tradito, ut superius explicui. 2. Patres, commendando necessitatem & sufficientiam Scripturæ, non idèo excludunt Traditiones, quin potius illas astruant, siquidem ipsa Scriptura earum necessitatem asserat. 3. Quando SS. Patres videntur rejicere Traditiones, intelligendi sunt de Traditionibus falsis, apocryphis, humanis, rejectis, vel non receptis ab Ecclesia?

Obj. 11. Quod est mutationi obnoxium, non potest esse fidei regula; atqui Traditiones sunt mutationi obnoxie: ergo. Prob. Min. Traditiones de melle & lacte Baptizatis porrectis; de trina immersione in Baptismo de Eucharistia in privatis domibus sumpta, de usu calicis, sunt jam antiquata. Idem de millenario Christi regno, & de Conceptione maculata B. Virginis: ergo. R. Traditiones 1. loco assignatas spectare non fidem, sed disciplinam & ritum tantum, idèque subjacere correctioni & dispensationi Ecclesie. Quantum ad millenarium Christi regnum & Conceptionem maculatam B. Virginis, nunquam de iis habita fuit Traditio divina, aut Apostolica, quia de neutro fuit constans, certa omnium, aut ferè omnium sententia, neque ut talem unquam agnovit Ecclesia, cujus partes sunt Traditiones veras a falsis, sicut Scripturam veram a falsa, discernere. Adde immaculatam Conceptionem B. V. non haberi ab Ecclesia ad dogma fidei, sed ut piam sententiam.

Inst. Testimonium Patrum est testimonium humanum, proindeque insufficient ad finem divinam: ergo. R. Fidem nostram divinam nisi divine revelationi, testimonium autem Patrum ut testibus tantum hujus divine revelationis.

Repones. Sensus Patrum plerumque est obscurus & incertus: ergo. R. Concesso Ant. N. Conseq. Quia, sicut Ecclesia ex assistentia Spiritus S. est infallibilis in discernenda Scripturis & earum sensibus, ita in discernendis Patrum sensibus & Traditionibus.

Obj. 12. Non est ratio, cur Sacri Scriptores non omnia scripsissent, aut unum potius, quam aliud scripsissent: ergo. R. N. Ant. Scriptores enim sacri non intenderunt componere summam integram totius Doctrinæ Christianæ, sed pro diversitate occasionum tradere diversa dogmata & præcepta. Insuper non conveniebant omnia fidei mysteria scripto tradere, ne ab Ethnicis irriserentur, aut a vulgo contemnerentur. Tandem quæcumque scripsissent Apostoli, semper erat necessaria Traditio, ut eorum scripta pro divinis agnoscerentur.

Inst. 1. contra hanc ultimam responsionem, quæ est una ex præcipuis rationibus nostris. Traditio non est necessaria, ut Scriptura pro sacra & divina dignoscatur: ergo. Prob. Ant. Sufficit declaratio infallibilis Ecclesie: ergo. R. N. Ant. Ad Probat. N. Conseq. Quia, cum Ecclesia non habeat novas revelationes, non declarat infallibiliter, aliquam Scripturam esse divinam, nisi ex priori revelatione, quæ est ipsa Traditio.

Inst. 2. Ecclesia declarat infallibiliter, Traditionem esse divinam sine alia Traditione, alias iretur in infinitum: ergo potest declarare Scripturam esse divinam sine Traditione. R. N. Conseq. Quia cum Traditio, ut dixi, sit ipsa revelatio, est primum principium in rebus fidei. Unde non solum rem revelatam, sed etiam seipsam & suum Auctorem manifestat, sicut primum principium in Philosophicis seipsam manifestat, manifestando principiatum: sicut lux seipsam manifestat, manifestando colores. At S. Scriptura, cum se habeat tantum ut secundum principium, res quidem contentas manifestat, sed non suum auctorem. Patet in humanis. Si quis viva voce aliquid declarat, hæc declaratio & rem & suum Auctorem manifestat: sed si scribat, scriptura rem scriptam manifestat, sed non suum Auctorem. Unde, ut dignoscatur Auctor, debet ipse comparere, & declarare hanc esse suam scripturam & signaturam, quæ declaratio non indiget alia declaratione.